


Ob-12

1876,





# INDEX LECTIÖNUM

IN


**LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI**

PER AESTATEM

A DIE XXIV APRILIS ANNI MDCCCLXXVI

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROF. DR. HENRICI OSWALD DE GENERIS HUMANI IN PROTOPARENTE LAPSI AD  
RECUPERANDAM IN CHRISTO SALUTEM DIVINITUS INSTITUTA PRAEPARATIONE COMMENTATIO.  
PARTICULA I.



BRUNSBERGAE.

TYPIS HEYNEANIS.



# INDEX LIBRIONUM

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

LIBRARY OF THE POLISH

UNIVERSITY OF TORUN POLAND

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. FRANC. DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIAŻNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU



BIBLIOTHEQUE

UNIVERSITY LIBRARY OF TORUN POLAND

# **LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS**

## **R E C T O R E T S E N A T U S**

**CIVIBUS SUIS**

**S.**

### **De generis humani in protoparente lapsi ad salutem in Christo recuperandam divinitus instituta praeparatione.**

#### **Particula I.**

Haud exigui momenti quaestio est et sat multum versata, quare deus ter optimus quum genus nostrum in Adamo deperditum restituere decrevisset, ipsum restitutionis sive redemptionis opus illico quidem promiserit perficiendum, sed reapse tamen post longam demum seculorum seriem, in plenitudine, ut dicitur, temporis perfecerit, seu rectius per filium suum, qui tunc humana indutus natura in terris apparuit, perficiendum curaverit. Sed quamvis ad istam quaestionem multipliciter possit responderi, tamen omnes fere rationes vel allatae vel afferendae eo rediguntur, ut dicas, divino consilio amoris erga nos pleno id esse factum, ut nimirum ipsa redemptio hominibus, quantum fieri posset, salubris et frugifera redderetur. Neque enim divina sapientia mentes hominum salutis restituenda ordine velut obrepere voluit, sed per diuturnam annorum disciplinam ita comparatas ad praesentem redemptionem esse gestiebat, ut salvatoris diu desiderati doctrinam et gratiam ardentissimo viscerum affectu amplecti possent. In hac autem ad redemptionem suscipiendam generis nostri praeparatione et dispositione divinitus facta duplex modus et quasi via rectissime distingui potest. Stirpem enim humanam deus bipartitam voluit, eujus stirpis unam quidem partem, quae ethnica solet nominari, ut Apostoli verbis utar<sup>1</sup>), „suas vias ire sivit“<sup>2</sup>), „tempora hujus ignorantiae despiciens“; dum autem deus, ut in mundo ethnico peccati malitia vires suas quoquoversus explicaret et exsereret, permittebat, quoniam in homine quamvis lapso non omnis aequi bonique sensus esset extinctus, fieri facile debuit, ut in homine

<sup>1)</sup> Act. 14, 15.

<sup>2)</sup> Ibid. 17, 30.

ethnico vivax oriretur conscientia, quanti sit peccati miseria et quam deploranda hominis sibi derelicti conditio. Quum autem tali modo peccati conscientia in dies magis augeretur, etiam redemptionis a peccato indigentiae sensus augeri, et una cum hoc sensu, quum ex primitiva revelatione aliqualis futurae redemptionis cognitio etiam penes ethnicos restaret, desiderium tanti beneficii vehementissimum exoriri oportuit, quo desiderio animati homines ad amplexandam salvationem aptiores redderentur. Alteram autem generis humani partem, numero longe minorem, e complexu gentium seu ex gentilitatis massa deus separavit, populum Israel scilicet, eamque data opera et institutis peculiaribus erudiendo et educando ad suscipiendum generis humani salvatorem ex ipsis stirpe oriturum praeparavit, et veluti manu deduxit: id quod potissimum factum est per vaticinia de futuro redemptore, qui Messiae nomine celebratur, ejusque opere jami antea canentia, et inde a sic dicto protoevangelio exordiendo in dies majori cum perspicuitate salutem futuram praesagientia, personam scilicet, opus, tempus expiatoris ita adumbrando, ut expleto praebambulo stadio quivis, nisi praecipitatus foret, facile ad instar Nathanaëlis, laetum illud εὐρηκα proloquentis, in Christo Jesu Messiam promissum agnosceret et ejus doctrinam amplectetur. Verum est, duplex haec Judaismi atque Ethnicismi divinitus ordinata relate ad Christum salvatorem destinatio, quam positivam et negativam merito vocaveris, in diversitate absoluta non est intelligenda, nam sic intellecta consilio divino obstaret potius quam prodesset; sed tantummodo pro mensura utrobique praecipua, quae tamen nihilominus utriusque humanitatis partis indolem religiosam vere et plene significaret. — Sed utriusque hujus in genere humano praeparationis cursum paulo accuratius exponere data hac scribendi occasione haud inconcinnum visum est.

### Generis humani fata religiosa inde ab initio usque ad diluvium.

#### §. 1.

Stirps humana in Adamo lapsa gravi patebat ruinae, sed, quamvis in radice vitiata, sanabili tamen laborabat vulnere ita, ut non quidem suae naturae vi, nec auxilio ab aliis creaturis petito, sed tamen miserantis dei medicatrici manu posset resarciri. Non est hujus loci, ut id adductis ex natura peccati originalis et e posteriorum cum protoparente nexu rationibus demonstremus. Rebus igitur sic stantibus tota salutis spes in bonitate divina erat reposita. Neque etiam deus ab aeterno jam conceptum restituendi hominis lapsi consilium, quamvis illud non statim executus sit, diu intestatum voluit, sed potius sine mora ipsis progenitoribus calamitatis auctoribus patefecit. Quod factum esse legimus, quando dominus deus post patratum a progenitoribus scelus „ad auram post meridiem“<sup>3)</sup> in horto paradisi deambularet, ut in peccatores qui facinoris sibi concii adspectum judicis anxie fugiebant, sententiam ferret; factum est inquam oraculo illo, quod sub nomine protoevangelii celebratur, Gen. 3, 14 seqq. Inde igitur nostrae disputationis exordium sumendum est.

Etenim quum in inquisitione, ut ita dicamus, judiciali Adamus culpam in uxorem, mulier vero in serpentem, quo diabolus seductionis humanae administro usus erat, devolvere conarentur, ipse judex condemnationis sententiam in serpentem profert maledicto ita comparato, ut in benedictionem humani generis ipsa execratio verteretur. V. 14: „Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae, super pectus tuum gradieris et terram (βάφαρ potius: pulverem) comedes eunctis diebus vitae tuae“. Referendum est hoc effatum divinum, si verborum sonum species, ad serpentem, sed sensu altiori procul dubio simul diabolum primarium seductionis auctorem tangit (cf. Sap. 2, 24). Relate quidem ad serpentem oraculum hoc in rerum natura evidenter comprobatur, dummodo sub

<sup>3)</sup> Gen. 3, 8: *le ruach haÿjôm* = in vento diei, i. e. vesperascente et propterea leniter plerumque flante coelo.

voce „pulveris“ herbas pulvere tectas intelligas. Illud tamen in medio relinquimus, utrum exinde serpentis indoles in praesentem conditionem huic effato congruam repente sit mutata, an id solum indigitetur, ut quae prius jam erat serpentis indoles, exinde pro signo poenae, in eundem cadentis sit habenda<sup>4)</sup>. Quatinus autem hujus execrationis verba ipsum satanam afficiunt, iisdem (ut ad sequentia via sternatur) odium illud et despectus, quo deinceps diabolus seductor penes homines seductos laborare debuit, adumbratur. Sed his minutis non immoremur; pergamus potius. — V. 14: „Inimicitiam (‘ebah der. a ‘ajab = odit, infestavit) ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius, ipse<sup>5)</sup> conteret caput tuum (verbum est shāph = pungere, vulnerari; vulnus in capite lethale esse solet), tu autem calcem ejus punges (in textu orig. idem recurrit verbum; oppositio sermonis tantummodo est inter „caput“ et „calcem“; vulnus in calce levius plerumque esse solet)“. Jam ut celebrem hunc textum pro scopo nostro non tam grammaticae quam dogmatice illustremus, observationes paucas faciemus. a. Maledictum (‘ārūr) judex conjicit non in hominem peccatorem, ne in mulierem quidem: quorum potius excusationes, etsi inane, dum non redarguit, quodammodo admittit, sed (sub specie serpentis) in diabolum duntaxat, ut qui principalis sceleris auctor sit habendus. Maledicendi vox omnino perinde valet ac „condemnare“. Quoniam igitur homines data hac occasione praeter opinionem, quamvis damnationi obnoxii sint, iudicis solemini sententia non damnantur, futurae restitutionis aliqua debilis quidem, sed tamen haud spernenda spes affulget. b. Inimicitiam hominem inter et diabolum deus vult „ponere“ (shīth) i. e. fundare, constituere, firmare, nimirum duraturam. Illud quidem negari non potest, per seductionem hominis in paradiso diaboli dominationem in terris esse fundatam<sup>6)</sup> supra genus humanum; sed hanc dominationem diabolicam non fore suis numeris completam, potius ita comparatam, ut qui vietus dominati subjacuit, tamen contra servitutis vincula insurgeret et victori palmam eripere conaretur, id innuitur nobis voce, „inimicitiae“, quod fortasse rectius per „infestationem“ sive „certamen“ interpreteris. Animadvertis praeterea lector diligenter, in hoc iudicio homini tam propitio dominium ab una vel servitium ab altera parte prorsus non audiri. Sane princeps tenebrarum per seductionem in paradiso peractam praeter infernum quasi alterum suum dominium terram constituerat, genusque humanum sibi obnoxium reddiderat; sed in ore iudicis benignissimi ipsa haec servitus humani generis mollitur in infestationem contra dominatum usurpatum. Stirps igitur humana a diabolo non omnino est debellata, sed potius recollectis viribus — ope divina — contra tyrannum insurget. c. Quo in certamine abhinc diabolum inter et hominem futuro Victoria tandem penes hunc erit, semen enim mulieris conteret caput ejus i. e. „diaboli opera solvet“<sup>7)</sup>, dum levioria tantum vulnera generi humano ab inimico infernali infligentur.

Hocce est celeberrimum illud vaticinium protoevangelicum, quod quomodo in Christo completum sit, quum quis nostrum facile videat, accuratori expositione supersedentes, triplicem solummodo Christi victoriam in initio publicae vitae ab eodem de diabolo reportatam<sup>8)</sup> commemoramus. Quamvis autem striete definire haud possimus, quanto perspicuitatis gradu protoparentes, quorum praeprimis

<sup>4)</sup> Accuratus loquendo: sit habenda pro indicio penalitatis respectu hominis, nam in brutum animal vera culpa et ideo veri nominis poena cadere nequit.

<sup>5)</sup> Textus originalis, prout jacet, aliam omnino interpretationem non admittit; obstat enim non *hv'*, quod sane etiam *hiv'*, i. e. *hi* legi posset, sed quod pertinens verbum hebraice secundum genus diversam formam masculinam habet, et quod in commate insequenti pronomen suffixum huc relatum etiam formam tenet masculinam. Quod Vulgatam attinet, de jure *τοῦ „ipsa“* non litigamus hae loco, quia de modo quo haec verba etiam in matrem Christi referri possint, pro scopo nostro praescindimus.

<sup>6)</sup> Cf. Hebr. 2, 14 et Conc. Trid. sess. 5, 1.

<sup>7)</sup> 1. Ioan. 3, 8.

<sup>8)</sup> Vid. Matth. 4, 1 seqq. et locos parall.

intererat, divinae hujus promissionis sensum intellexerint: tamen eos in verbis divinis quandam futurae reparationis adumbrationem et quidem tamē, quae desperationem iis eximere posset, vel cognovisse vel saltem augurasse, ex ipsa narratione biblica patet. Etenim mors, quam deus, si legem ab ipso sancitam transgrederentur, minatus fuerat<sup>9)</sup>, non statim consecuta est; poenae, quae non obstante judicij lenitate infligebantur, fuere quidem satis acerbae sed tamen ita ordinatae, ut in earum indole salutari<sup>10)</sup> misericordiae divinae haud dubium vestigium deprehendatur; seductor adversarius maledicto confixus est, et Victoria de ipso tandem (quamvis fortasse serius) reportanda divino oraculo stabilita: haec omnia quum vel sentire vel saltem divinare protoparentes possent, sic constitutae eorum mentis dispositioni optime congruit, quod legimus, Adamum uxorem suam, quae ei ut mortis promulgatae reus efficeretur, ansam praebuerat, tamen hoc ipso momento *chavvah* i. e. vivificatricem appellasse<sup>11)</sup>, ut quae, cuius semen homicidam letiferum<sup>12)</sup> esset devicturum, mater cunctorum viventium, tanquam proavia victoris de homicida ab initio, merito censeretur.

Quae post expulsionem e paradiſo statim consequitur hominum historia et ipsa stirpem nobis exhibet depravatam quidem et passionibus libidinibusque obnoxiam, sed tamen non omnino perderitam, et damnatam et in qua boni rectique nec volam nec vestigium deprehendas. Imo theologi, qui claram futurae redēptionis atque adeo personalis ejusdem auctoris (Christi) notitiam protoparentibus attribuere posse arbitrantur, non prorsus inepte arguunt, verbis Evae matris, quando primo peperit<sup>13)</sup>, sic intelligendis: „Aquisivi (*qđnithi* ref. ad nomen primogeniti Kain) virum, qui sit Dominus (*'ish äth Jehôvah*)“ spem indicatam esse, jam in primo puerperio promissionem de ipsius semine completum iri. Sed etiamsi huic opinioni acquiescere non possimus, interpretandum censes „cum deo i. e. dei auxilio (Vulg. „per deum“) hominem acquisivi“, tamen exclamationi parentis etiam sic intellectae aliquale indicium inesse benedictionis semini mulieris propter futuram reparationem annexae, nemo facile diffitebitur. Sane quidem in recenti hominum genere malitia late serpebat, nec, ut corruptionis documenta ex historia depromamus, est opus. Sed praeter et juxta „filios hominis“ magis magisque degenerantes superstes manebat in „filiis dei“ Sethi posteris, a corruptela priorum diu separatis, timor domini: vivente per Sethum Adami nepote Enosho, ut s. scriptura testatur<sup>14)</sup> publicus numinis divini cultus in terris coepitus est, hujus pronepos Henoch, qui „ambulavit cum deo“, „translatus est“<sup>15)</sup> in paradisum; et Lamech Noachi pater filium suum hoc nomine (quod „consolationem“ innuit, cf. heb. *nûach*) appellavit, sine dubio meliorem hominum conditionem praesagiens, quia scilicet „iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit dominus“<sup>16)</sup>. Atque demum, quum per commercia scelesta filiorum dei cum filiabus hominum depravatio et malitia eum gradum ascendissent, ut stirps humana flagitiis pessimis et facinoribus prorsus pessum dari videretur, deus ut tanto malo occurreret, diluvium illud magnum ad purgandam stirpem et ejus sedem pollutam instituit, in quo tamen — spes rerum futurarum — familia Noachi, i. e. octae animae salvae factae sunt<sup>17)</sup>.

<sup>9)</sup> Gen. 2, 17.

<sup>10)</sup> Gen. 3, 16 seqq. — Dolores cum graviditate et partu conjunctae, qui mulieri infliguntur, si ethice eos aestimare velis, remedium contra carnalem libidinem sunt; labores improbi et duri, ad acquirendam vitae necessitatem homini injuncti, et ipsi contra concupiscentias malas militant; atque adeo ipsa mortalitas, terrores mortis et angustias praefigurans, salutarem metum et castigatam sentiendi rationem potest incutere.

<sup>11)</sup> Gen. 3, 70.

<sup>12)</sup> Ioan. 8, 44.

<sup>13)</sup> Gen. 4, 1.

<sup>14)</sup> Gen. 4, 26.

<sup>15)</sup> Gen. 5, 22; conf. Eccli. 44, 16.

<sup>16)</sup> Gen. 5, 29.

<sup>17)</sup> 1. Petr. 3, 21.

## III.

## Inde a diluvio usque ad constitutam v. test. theocratiam.

## § 2.

Quod si de memorato Judaismum inter et Ethnicismum discrimine usque ad diluvium sermo esse non potest, in secunda, quam statuimus ἐξοχῇ, ad usque Mosaicam legislationem, ista inter utramque partem distinctio iterum reapse quidem nondum apparuit, nihilominus tamen durante hoc tempore modus, quo deus genus hominum ad restitutionem disponere volebat, clarius jam patuit per iteratas separationes, quibus stirpis nostrae fragmenta pedetentim plura e speciali dei providentia quasi dimissa et sibi suisque conatibus permitta ac derelicta sunt; quo factum est, ut mundus gentilis quo numero crescebat eo apertius suae notioni responderet, usque dum ex omnibus gentibus (*gōjîm*) unam sibi peculiarem deus selegit, in quam curas suas et sollicitudines accumularet, ceteris omnibus in gentilitatis universitate detrusis. Recte propterea tempora haec separationum periodus nominantur.

Prima inter omnes separatio, sensu quem innuimus, statim post diluvium initia est in filiis secundi generis humani parentis Noachi per memoria dignum illud Vaticinium, quo iste patriarcha futura filiorum suorum in generationibus ipsorum fata canit<sup>18)</sup>). Post illud ignominiosum Chami in dormiente patre facinus, quod omnes norunt, cuius partem praecipuam ejus filius Canaan egisse videtur, senex expergefactus et de eventu edoctus in haec prorupit verba: „Benedictus<sup>19)</sup> Dominus deus Semi; dilatet dominus Japheto (i. e. lata et ampla domicilia preebeat = *japhth' ălōhîm lejāpheth*; ipso Verbo ad nomen filii alluditur) et habitet in Semi tabernaculis“. His in patriarchae effatis non possumus quin post illud expositum protoevangelicum secundum gravioris momenti vaticinium Christologicum agnoscamus. Intercedit etiam inter utramque aliqua similitudo, quatenus utrobique maledictio unius vertitur in benedictionem alterius. Quod autem infamiae notam, hoc loco Canaano impressam spectat, eam, etiamsi proprie sic dictos Canaanitas (quorum in flagitiorum coenum immersio tam profunda facta est, ut, cum eorum resipiscientia esset desperanda, ad internacionem per Israelitas divinitus destinarentur) mittas, Chami posteris, ad quos interioris Africæ populi Negritii potissimum spectare censemur, per omne tempus inhaesisse et inhaerere adhuc, historiae annales satis demonstrant: sufficit, ut quis Nigrorum squalidissima servitute torpentium recordetur<sup>20)</sup>). Quod autem duos Chami fratres attinet, Noachus h. l. id aperte vaticinatur, benedictionem, pro stirpe humana scilicet — qua futuram ejusdem reparationem comprehendi, quis est qui dubitare velit? — inde a Semo,

<sup>18)</sup> Gen. 9, 25—27.

<sup>19)</sup> Rei cardo vertitur in verbis *'ărûr* et *bârûkh* sibi invicem appositis. — Non offendat lectorem, quod haec vox „barukh“ non directe ad Semum sed ad „Jehovam“ potius refertur, „Semi deum“. Habet enim illa vox, sicut aliae plures in lingua Hebraica significatum correlativum ita ut proportionis ambo membra comprehendat, id quod quum a lingua nostra alienum sit, haud raro eloqui difficultatem parit: *brkh* igitur et ejus derirata non solum „benedictionem“ significant, quam deus hominibus impertitur, sed a parte hominis etiam correspondentem huic (benedicendi) divino motui actionem, veluti laudationem, praedicationem, similia. Ut breviter dicam, *barakh* duplice *τοῦ εὐλογεῖν* et *τοῦ εὐχαριστεῖν* (cf. coena Domini Matth. 26 et loc. parr.) sensum in se conjungit. Cum igitur in textu nostro *bârûkh* quae est forma passiva, ad Jehovam tanquam Semi deum referatur, si phrasem ex linguae vernaculae (etiam latinae) more dijudicare velis, id tantum innuitur, „Semum habere ansam deum praedicandi“, sed e linguae Hebraicae genio addendum est: „... deum praedicandi, eo quod Jehovah ipsi benedixerit“. Iure igitur pleno benedictionem divinam verbotenus in Semum a nostro vaticinio prolatam esse asserimus. — Similis generis voces Hebraicae sunt v. g. *gâmal*, quod non solum retribuere, sed etiam tribuere significat, *châsâd*, quod aequa gratiam dei erga homines ac pietatem hominum erga deum innuit, *zânah* quo non solum „respondere“, sed etiam colloquium ordiri intelligitur.

<sup>20)</sup> Obiter quidam sed serio tamen monendum est, per talem maledictionis formam omnem quidem gentem sed non statim singulos gentis homines (fortasse innoxios) feriri, neque etiam libertatem individuam tolli.

i. e. in ejus prosapia originem habituram esse. Semus igitur prae fratribus suis tanquam primarius et electus praesignificatur, Abrahami et Jacobi proavus. Quod cum ita sit, fratres Semi Japhetus et Chamus a promissionis gratia excluduntur; itaque in genere humano prima separatio instituta est. Respectu autem vaticinii protoëvangelici semen mulieris (Gen. 3.) jam ad semen Semi (Gen. 9) restringitur. — Sed memorata digna quoque est conditio, quae in futurae Salutis oeconomia Japheto ejusque posteritati, quae inter Europaeos Indogermanos praecipue est quaerenda, adscribitur. Major ei dilatatio seu diffusio praenunciatur; et quis est quin videat, quantopere haec promissio in effectum sit deducta, cum impraesentiarum indo-germanici seu japhetidici Europaei fere totum terrarum orbem incolant. Quodsi autem in ejusdem oraculi testimonio Japhet in Semi tabernaculis habitaturus esse dicitur, satis quidem mundi historiarum cursus testatur, populos Semiticos magis magisque temporis lapsu a Japhetidis in eorum locum succendentibus de theatro mundi esse perturbatos; sed tamen, quatinus in benedictione divina Semum h. l. tangente futura generis humani Salus reperitur et reperi debet, in vaticinio Noachico indicium habemus consilii illius divini, quod Paulus apostolus in ep. ad Rom. cap. 11 exponit, quo ex consilio, postquam Israel (Sem) ob induratam cordis nequitiam saluti in Christo quaerendae fere omnis excidit, in ejus locum Graecorum et Romanorum (Japhetidarum) gentilitas successit, i. e. in ejus tabernaculis habitavit, usque ad praefinitum scilicet tempus. Duplex igitur in magno hoc et illustri oraculo de futura reparatione momentum continetur: Salutis administratio in gentes facienda a Judaeis instituetur; sed ipsa Judaeorum natio — ad interum ab hac salute excludetur.

Una cum Semo vaticinii expositi praecipuo subiecto propter longaevam patriarcharum vitam juxta temporum rationem biblicam adhuc in terris convixit Abraham. Continuo igitur pervenimus ad magnum illum viram, quicum secunda gentium separatio et quidem illa orditur, quae electioni Israelitis in populum deo peculiarem jam viam sternit; nam „Abrahae filii“ vocantur Israelitae<sup>21)</sup>, quamvis eandem nondum perficiat: pervenimus inquam ad Abrahamum, qui tam in s. scriptura quam extra eam (a Mohammedanis) „dei familiaris“ nuncupatur, ad patrem fidelium, qui per fidem justificatus est<sup>22)</sup>, ad patriarcham *καὶ ἔσωχήν*, illum nempe Messiae atavum, juxta quem salvator in initio evangelii „filius Abrahae“ solemniter appellatur. Iterum enim orbis terrae fere totus, in falsorum deorum cultum prolapsus, omnigenae pravitatis coeno volutabatur, cum dominus deus, ut desperatis rebus denuo occurreret, hunc suum electum et dilectum, cuius adeo familia hac corruptione erat infecta, media pagana ex societate in regionem dissitam evocavit, ipsi et ejus propagini terram promissionis futuram, ut commercio pestifero solitus inter homines praesidium fieret et fulerum fidei in unum deum verum ac spei in futurae redemptionis salutem. Quare statim in initio vocationis promissio ipsi facta est<sup>23)</sup>: „in te benedicentur omnes tribus terrae“ quae tamen accuratius definitur et praecisius, quando summum fidelis obedientiae erga deum specimen, filium adeo unicum si deo placuerit sacrificaturus, praestisset, et quidem expressa ad hoc obedientiae experimentum relatione<sup>24)</sup>: „In semine tuo benedicentur omnes terrae nationes“ (grammatice observa, Hithpaël *hithbârêkh* alias quidem sensu reflexo se benedicendi, hoc tamen loco propter locos parall. sensu passivo, sicut etiam Vulgata habet, esse sumendum). Quodsi hujus loci interpretatio authentica, ab apostolo facta<sup>25)</sup>, non esset praesto, quae sic habet: „Abrahae dictae sunt promissiones et semini ejus, non dixit, et seminibus quasi de multis, sed quasi de uno, in semine tuo, qui est Christus“, fortasse non tam definite

<sup>21)</sup> Matth. 3, 9.

<sup>22)</sup> Rom. 4.

<sup>23)</sup> Gen. 12, 3.

<sup>24)</sup> Gen. 22, 18.

<sup>25)</sup> Gal. 3, 16.

personam singularem (Christi), sed potius in universum Abrahae posteritatem sub nomine seminis ejusdem, ex quo salus universi urbis sit oritura, animo conciperemus; sed quis unquam possit dubitare, quin sub ista benedictione divinitus indigitata, qua omnes terrae gentes sint beatae, terrae inquam quae propter peccatum fuit maledicta, redemptionis a peccato et expiationis σωτηρία sit intelligenda? De novo igitur semen mulieris (Gen. 3), semen deinceps Semi (Gen. 9), determinatur et quidem in semen Abrahae. — Sed ipsa haec Abrahmi vocatione includi decretum dei positivum, quo seligeretur aliqua pars stirpis humanae, ut per ipsam in mundo sustentaretur religionis veritas, etiam futurae salvationis fidem in se comprehendens, ostenditur conventu illo Abrahmi memoria digno cum Melchisedecho<sup>26</sup>), in quo fuere qui Semi adeo personam invenire vellent. Hic „rex Solymorum“ et „altissimi sacerdos“, qui et ipse typum gessit Messiae<sup>27</sup>), ultimus, ut ita dicamus, generis humani nondum dimidiati in bonum partem vindicet et advocatus, apparenter coelitus fuit destinatus, ut benedictionis sacrae tesseram e mundo in malitiam demerso et suis abhinc fatis derelinquendo transferret (ut ita dicamus) in peculiariter dilectum dei clientem Abraham, V. 19: „et benedixit eum (Abraham) et dixit, benedictus deus Abram (sic enim tunc temporis vocabatur patriarcha) a deo excelsus, qui creavit coelum et terram, et benedictus (i. e. laudatus, vide supra pag. 7) deus excelsus, qui hostes tradidit in manus tuas“.

At ne cum Abrahamo quidem omnino cessavit ista separationum series, qua paulatim ex tot orbis populis unus electus tanquam inter omnes sacerdotalis constitueretur; sed et post illum per plures generationes adhuc quaedam, etiam ab ipso prognatae stirpes, in massam gentium sibi derelictarum ablegatae, a centro religionum in Salvatorem disponentium semoventur. Etenim non in Ismael, Aegyptiacae filium nec in Cethurae liberos, quamvis ab Abrahamo utrosque procreatos, sed in Isaacum Sarac filium, et quoad generationis stemma insequens, non in Esau (Edom), sed in Jacob, qui et Israël, haereditaria promissio translata est. Quapropter praeter Abraham hi duo quoque speciali sensu patriarcharum (quasi stirpis progenitorum) nomine insigniuntur (tres patriarchae); ideoque iis promissio Abrahae facta iisdem verbis vel leniter inflexis bis terve repetitur<sup>28</sup>). In familia demum Jacobi iste separationum processus finem reperit, necque jam quidquam ad constituendam theocratiam defuit, quam ut haec familia, quae de sui progenitoris cognomine honorario „Israel“<sup>29</sup>) eponymon erat acceptura, in nationis amplitudinem excresceret: id quod in servitio Aegyptiaco perfectum fuit.

Sed et patriarcharum ultimus de vita discedere non debuit, quin moribundus dum filiis duodecim fata futura afflante spiritu divino praecineret, in redemptionem quoque animum adverteret, inter duodecim tribus ex iis progignendas electionis tribum praesagiendo. Utrumque reapse in magnifico illo morientis Jacobi vaticinio habemus, Gen. 49, 10 seqq. „Non recedet seeptrum de Juda nec princeps de femore ejus (proprie: de eo quod est inter pedes, i. e. de posteritate) usque dum ‚shilō‘ venit (ad ki jábō̄ shiloh) et ipsi erit expectatio gentium (in eum gentes sperabunt)“. Ad exponenda hujus oraculi verba, ut pro officio nostra pauca moneamus, missa illa rationalistarum minuta et futili interpretatione: „usque dum ad Shiloh (Palaestinae oppidulum, ubi Judicum tempore arca testamenti ad interim asservabatur, v. 1 Sam. 4, 3) pervenitur“, scilicet: usque dum vita ἀρχότας populi Israelitici per desertum, in qua tribus Juda primum itineris agmen egit, finita fuerit — quae quidem interpretatio, quum per contextum haud apprime commendetur, a traditione etiam Judaeorum recentium, qui h. l. Messiam invenire non gravantur, respuitur — hoc igitur verborum intellectu statim remoto,

<sup>26</sup> Gen. 14.

<sup>27</sup> Ps. 109, et Hebr. capp. 6 et 7.

<sup>28</sup> Gen. 26, 4 et 28, 14.

<sup>29</sup> Eo quod Jacobus cum deo luctatus sit, Gen. 32, 28.

nostra parum refert, quomodo vocem shiloh<sup>30)</sup> secundum varias variorum opiniones velis intelligere, quum, ut ut res ferat, oraculum christologicum non possis non agnoscere. Quo praefecto quae ad rem nostram in hac oraculo continentur, proponamus. E mente et juxta conceptum hominum praeprimis orientalium spes patris de rebus familiae futuris in filio potissimum primogenito, prae fratribus aestimando, est reposita. Ast hac occasione qui fuit natu primogenitus Ruben per incestuosam fornicationem, et qui ordine naturali sequuntur, Simon et Levi<sup>31)</sup> per homicidia nefaria primogeniturae jura perdidérant. Itaque morientis patris acies ab his relapsa convertitur in proxime sequentem filium Judam, nativitatis ordine quartum sed electionis gratia primum inter omnes: hic ille est genuinus haereditatis paternae vindex (verus Erbward, ut cum poëta nostro veteri-Saxonico loquar). Nam etsi ne hic quidem ex ore patris omnia primogeniturae jura et privilegia capesseret, quandoquidem filius ejus Joseph in liberis suis Ephraim et Manasse ab avo adoptatis, id quod ad primogeniti praeципuum spectare videtur, duplē paternae substantiae portionem sibi vindicaret, tamen quod in hac causa maximi est momenti, principatum in Israel ideoque dominationis sceptrum Juda promissum accepit, Vv. 8 seqq.: „Juda, te laudabunt (jódhákhá, quo verbo ad nomen personae adluditur) fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui; catulus leonis est Juda“ cet. Judas igitur inter fratres sceptra geret; isque Judae tribus in Israel principatus durabit usque ad Messiae tempora (v. 10), quando regnum transibit ad Messiam, „qui regnabit in domo Jacob in aeternum“, Lue. 1, 32. Quo autem pacto baeccc celebris de tribu Juda in populo Israelitico ἵγειονία suum eventum historia teste habuerit, quamvis alioquin satis notum, ut paucis dicamus: jam durante Israelitarum per deserta migratione tribus Juda, utpote principalis, reliquas in agmine antecedebat; regnum dein theocraticum, ex quo post occupatam terram promissionis conditum fuit, repulso et reprobato Saulo, in David primum habuit suum illustrem sospitatem, qui et non interruptam potestatem regiam in posteros transmisit, in David inquam, qui fuit de tribu Juda; quumque mox Israelitarum ditio omnis, haud sine aemulatione tribus Ephraim, quao secundo loco inter cunctas potentissima cum tribu Juda de principatu contendebat<sup>32)</sup>, in duas partes esset divisa, procul dubio in regno Judae, domui Davidicæ fidelis, tam in rebus politicis quam religiosis majorem firmitatem ac constantiam deprehendimus, quam in regno decem tribuum duec Ephraim rebellium. Atque demum post redditum ex exilio Babylonico, quo in redditu Judae potissimum tribules, quibus aliarum tribuum praeprimis Leviticae aliqui adjungebantur, in patriam remearunt, tam evidenter praevaluuit tribus Juda, ut deinceps omnis natio, sublato tribuum discrimine, in tribum Judae quodammodo compacta „Judaeorum“ (quasi dicas: Judae tribulium) nomine comprehendi coepit. Tum alte reposita erat Judae dominatio a moriente patriarcha nunciata. Quamvis igitur Macchabæi, quorum virtus et regni fortitudo extremum evanescens civilis gloriae

<sup>30)</sup> Vulgata, quae habet „qui mittendus est“ vocem hanc a verbo shálach = mittere derivat. Septuaginta (non tamen sine lectionum varietate) φέπόκεται = cui competit sc. sceptrum, vertentes aperte shállō, i. e. 'ashár lō legerunt. Utraque versione περιφραστιπώς Messiam σκηπτοῦχον βασιλέα suo tempore caelitus mittendum intelligi, nemo facile negabit. Interpretes alii, qui ad verbum shálah (= quiescere, contentum esse) provocant, „requiem, pacem“ vel simile quid exponunt ad signandam temporis (sc. Messianici) felicitatem. Sed et alii pro shiloh vel ponunt shilō vel utrumque idem esse autem, ut sit (secundum Arabicum shil = proles) proles seu abnepos ejus, nimirum ille ejus filius ὁ πάτερ (int. Messianum). Alii demum aliter.

<sup>31)</sup> Nihilominus hujus posteritati praerogativa cum juribus primogeniturae conjuncta attribuitur, eo quod ista tribus Levitica ad sacerdotium vocatur. Sed ipsa haec praeeminentia ab altera parte suo non carebat detimento, majori nimirum in terra disjectioni sociata (urbes Leviticae per totam Palaestinae regionem dispersae erant), quae virium in una tribu uniendarum collectionem satis impeditiebat; et in nostro vaticinio (v. 17) talis rei conceptus infaustus omnino viget. Imo per Levitas, ab unitate tribuli exclusos numerus tribuum duodenarius laesus, et quodammodo immutatus, sed per adoptionem filiorum Joseph, sive per aequiparationem duorum horum nepotum cum filiis, a Jacobo resarcitus est.

<sup>32)</sup> Psalm. 77, 68 seq.: „Non elegit Deus tribum Ephraim sed tribum Juda elegit“.

fulgorem in populum sparsit, non essent de genere Judae, sed de stirpe sacerdotali tribus Leviticae, tamen et ipsi pro temporum conditione quasi in gentem Judaeorum et tribum recepti recenseri poterant et debebant. Tum demum, quum Herodes Idumaeus et ejus prosapia per vim et dolum rerum in Israel potiebantur, tempus praefinitum erat elapsum, sceptrum de Juda et princeps de femore ejus sublatus; nam stirps Edom data opera et ex professo a propaganda divinae benedictionis promissione erat exclusa.

Servitute igitur Aegyptiaca postquam domus Jacob in populi magnitudinem excrevit, per varias tentationes et tribulationes Deo sic ordinante iste populus in deserto, in quo per quadraginta annos exul et vagus erravit, ita eruditus et excultus est, ut foedus peculiare cum ipso icere divinae sapientiae placuerit; quo foedere, sancito per legis documentum a magno illo veteris testamenti legislatore Mose propositae populus Israeliticus p[re]e omnibus terrae orbis reliquis nationibus electus in populum Deo dilectum peculiarem acquisitum (*zam segullah*) ad dignitatem prorsus singularem in rebus religiosis et sacris elevatus est. Quo facto ista, quam saepe diximus, generis nostri in duas partes divisio peracta fuit; quarum una gentes (*gōjim*, ἔθνη, die Böller), abhinc sibi et peccato gliscenti derelictas (Act. 17, 30) comprehendebat, altera autem populum *zat̄ ēsokh̄yv* (צָמֶן, λαὸς, das Wolf) exhibebat, per instituta variis generis ad salutem in Christo futuram divinitus disponendum. Lex igitur Mosaica dicente Apostolo<sup>33)</sup> paedagogus fuit in Christum, i. e. in Christi doctrinam praeparans magistra ac directrix; et de ipso Mose legimus<sup>34)</sup>: „Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Christum facta est“. Quod quum ita sit, Moses, qualis vix alius inter veteris foederis proceres, concipi debet tanquam Messiae futuri antesignanus et viae stator; Moses inquam antiqui foederis conditor, sicut Christus novi<sup>35)</sup>; Moses legis *zat̄ ēsokh̄yv* sic dictae auctor, quam non ut solveret sed ut adimpleret Christus se venisse testatur<sup>36)</sup>; Moses et Christus, ambo et soli sibi quasi suppare religionis revelata doctrina fundatae formarum institutores, quarum discriben non falsitate aut veritate sed ita censemur, quod prior forma Mosaica praeparationis curriculo accommodata ad tempus tantummodo valere potuit, usque dum per alteram Christi formam, quae eam ad apicem perducere debebat, abrogaretur. Tali modo Moses, veteris testamenti legislator et religionis, quae secundum legem est, institutor typum Christi novi testamenti *τῆς χάριτος μεσίτον* et religionis, quae secundum gratiam est, fundatoris gessit prorsus singularem. Et primo quidem haecce typica ratio refertur ad munus regium<sup>37)</sup>, in quo legislatio absolvitur.

Sed tamen similitudo typica, quae inter Mosen et Christum intercedit, in obeundo regio munere non subsistit, sed ad alia quoque officia, quibus salvationis humanae opus absolutum est, extenditur. Sane quod sacerdotalem Christi dignitatem, in quo expiationis salutaris munere potissimum functus est, attinet, vix dici potest, Mosen eidem typice praelusisse. Nam etsi in sacris, quibus Deum inter et populum Israel foedus confirmaretur, obeundis (Exod. 24) Moses adhuc sacrificatoris vices sustinuit, tamen sacerdotium ipsum formale fratri ejus natu majori Aaroni concessum fuit<sup>38)</sup>. At in magisterio prophetico, quod est tertium redemptoris nostri munus, nexus ille inter utrumque legislatorem veteris et novi test. eo minus potest negligi, quo magis constat, sine tali docendi monendi arguendi officio, quale ad prophetam spectat, novas religiones institui vel veras vel falsas omnino non posse<sup>39)</sup>. Qua

<sup>33)</sup> Gal. 3, 24.

<sup>34)</sup> Joan. 1, 15.

<sup>35)</sup> Cfr. Exod. 24 cum Matth. 26 (et loc. par.)

<sup>36)</sup> Matth. 5, 17.

<sup>37)</sup> Sed late sumptum, quomodo in recensendis Salvatoris muneribus seu officiis sumi solet.

<sup>38)</sup> Posterius Mosis inter simplices Levitas numerantur.

<sup>39)</sup> *Torah*, cuius Moses autor celebratur, quamvis per *vómuov* seu „legem“ interpretari soleamus, secundum etymon hebraicum aequo vel adeo potiori jure poteris „doctrinam“ vertere.

de causa non possumus, quin celebri textu (Deuter. 18, 18 seqq.), qui est de magno propheto in mundum venturo instar Mosis habendo, Christum, qui fuit magnus propheta, innui arbitremur<sup>40)</sup>; quamvis tamen non negemus, istum locum recte etiam ad prophetas in universum, quibus deus plebem suam erudire et ad salutem disponere tempore posteriori volebat, referri posse. Verba ita sonant: „Prophetam (*nâbhî* sine articulo) excitabo eis (Israelitis) in medio fratrum, sicut tu es; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae preecepero illi. Qui autem verba ejus quae locutus fuerit in nomine meo audire noluerit, ab eo poenam exigam“. Posse hanc de propheta inter Israelitas divinitus suscitando promissionem praeter prophetas proprie sic dictos Vet. test. etiam ad Christum „magnum prophetam“<sup>41)</sup> referri, praeter auctoritatem externam, quam in apostoli Petri oratione solemnii Act. 3, 22 seqq. et in ipsa traditione Judaica<sup>42)</sup> habemus, dupli argumento ostenditur, uno quidem, quia per totum hujus loci contextum singulari in propheta signando numero utitur scriptor nulloque indicio arguit, hunc numerum solummodo sensu collectivo (quem alias h. l. non negamus) esse sumendum, et altero argumento, quod tam juxta traditionem Judaeorum quam juxta ipsius s. scripturae verba propheta Mosi aequiparandus omni post eum tempore ulteriori in Israel non extitit; vid. Deuteron. 34, 40: „Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moses, cui Dominus se reddidit noscendum facie ad faciem“<sup>43)</sup>.

## III.

## In tempus subsequens conspectus generalis.

## §. 3.

Theocratia igitur Israelitica, divinitus per administrationem Mosis primum fundata ac dein paulatim magis explicita et ampliata, quomodo ea per totum usque ad adventum Christi temporis cursum in praecipuis suis, quibus vigebat, institutionibus, ac primum in regia dignitate — nam et ipsa, ex quo constituta est penes Israelitas, religiosum habitum induerat, quia rex populum sibi subjectum quidem sed Jehovahe peculiarem non propria auctoritate, sed de mandato dei et ut ejus vicarius secundum legis divinae sancita gubernabat, — ac dein in sacerdotio Levitico per varia sacrorum

<sup>40)</sup> Luc. 7, 16; Ioan. 6, 14.

<sup>41)</sup> Luc. 7, 16.

<sup>42)</sup> Quam ipse dominus approbare videtur, quum Joan. 5, 45 seqq. Judaeos, ut Mosi credant, hortatur his verbis „de me enim ille scripsit“, quod potissimum h. l. factum esse arbitramur; quaque traditio etiam in ore Philippi, Nathanaeli dicentis (Joan. 1, 45): „quem scripsit Moses in lege... invenimus Jesum“ sonare videtur, quum in toto Pentateucho praeter nostrum vix alius locus investigetur, cui talis locutio bene possit adaptari.

<sup>43)</sup> *'ashär jədhabô jəhôvah*. Meo judicio per leges grammaticas non licet interpretari (id quod apud Deraser in opere biblico satis noto h. l. invenitur): „qui eum, Jehovah, nosset facie ad faciem“. Rectius ad grammaticam habet Vulgata: „quem nosset dominus“ cet. Sed quid hoc sibi vult: „deus novit eum (Mosen) facie ad faciem“? Quod ut explicem, iterum idiotismum supra jam memoratum linguae hebr. adhibeo, ex quo haud raro verbum aliquod praeter actionem etiam huic actioni respondentem talionem significat; qua ex regula *jâda* de mutua unius et alterius cognitione ponitur, ita ut secundum nostratis linguae conceptum sit: „quicum dominus ad mutuam notitiam et cognitionem conver- saretur“. Quum vero secundum structuram verborum grammaticam in hoc commate „dominus“ sit subjectum et Moses (vel propheta aliis) objectum sermonis, rem aliter expedire non possumus, nisi „cognoscere“ sensu *roi* „cognoscendum se praebere“, „cognoscibilem se reddere“ sumamus; pro quo intellectu, etsi alias forma Hithpaël (etiam in hac voce) sumi soleat, in Kal quoque obvio, militare videtur, quod, si vox *jada* translato sensu ad significandum commercium sexuale usurpatur, aequo de viro dicitur, mulierem ab eo „cognosci“, ac de muliere eadem conjugationis forma adhibetur, quae se a viro cognoscendam praebet. — Ceterum haud refragabor, si quis *'ashär* non ad Mosen sed ad prophetam referri voluerit, id quod Vulg. per conjunctivum „nosset“ innuere videtur; quum haec differentia ad rem nostrum nil faciat. Mea tamen opinione scriptor, si prophetam indigitare vellet, rectius Imperfectum tempus adhiberet.

genera, lustrationes et purgationes emendationem conscientiae a pontifice novi test. faciendam adumbrante<sup>44)</sup>, et tandem in magisterio propheticō praeter vaticinia etiam adhortationibus, increpationibus, monitis et praeceptis mentes hominum ad altiora elevante, quomodo (inquam) theocratia vet. test. tria Christi munia, quibus omne Salvacionis nostrae opus peregit, non solum praefiguraverit, sed etiam praeformaverit, imo licet imperfecte antecipaverit, homines sibi subjectos per doctrinam et disciplinam (utrumque enim lex antiqua seu *tôrah* amplectitur) ad consequendam in Christo salutem educando et disponendo: id quidem fusius per singula discutere ac probare h. l. supersedemus, quum alias, si deo placuerit, eo recurrere in animo habeamus. Contractis velis abhinc tantum *διδαχτικὰ*, quae in vet. test. de futuro Messia<sup>45)</sup> effata habentur, breviter proponemus et explicabimus.

Sed priusquam id aggrediamur, ad describendam omnis hujus temporis indolem pauca liceat praefari.

a. Reprobato Saulo regnum theocraticum in Davide proprium suum et illustrem invenit conditorem. Hic vir juxta eorū dei (1. Sam. 13, 12) regis theocratici quoddam exemplar jam in antiquo foedere habetur. Non est igitur mirandum, quod prae ceteris Davidis regnum felicissimum et gloriosum Messianici regni typum singulari modo prae se fert. Audi verba angeli incarnationem filii dei annunciantis (Luc. 1, 32): „Dominus deus dabit ei sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in aeternum“; „patris sui“ dicitur, quia David de tribu Juda aequē ac Abraham inter progenitores Christi recensetur, „filii David, filii Abraham“ (Math. 1, 2). Neque enim solummodo David rex pientissimus et felicissimus reapse τὴν τοῦ Χριστοῦ βασιλεῖαν adumbravit, sed et expressis verbis a deo pollicitationem accepit de magno illo rege ex ipso oriundo, 2 Sam. 7, 12: „Cum completi fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod ex femore tuo egredietur, et firmabo regnum ejus; ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum ejus usque in sempiternum“. Quodsi cum hac narratione historica complures psalmorum textus, qui ad hunc locum aperte alludunt, comparaveris — praeprimitis huc pertinet psalm. 72 (ex inscriptione *lîshlômoh* = vel a Salomone, vel in Salomonem) qui totus est in exaggerando idealis regis splendore et regni ejus felicitate, et aperte Davidi factam de tali rege promissionem reminiscitur, v. grat. V. 5: „Venerabuntur te cum sole (i. e. quousque sol splendet) et ante (*liphné* eodem sensu) lunam in generatione et generationem (*dôr vâdhôr* = in sempiternum)“; V. 8: „Dominabitur a mari usque ad mare, a flumine usque ad fines orbis terrae“; V. 17 „Nomen ejus in aeternum perduret, ... magnificent eum omnes gentes“, — facile cogitanti tibi et comparanti persuadebitur, quae Davidi loco citato in ejus semine promittuntur, in filio proximo Salomone ex parte quidem et sensu manco, sed intellectu absoluto nondum esse completa; neque etiam ut omnia ad Salomonem restringantur, ipsa textus vocabula admittere videntur. Tenendum igitur erit, Deum Davidi monstravisse intento velut digito sub imagine filii post eum prospere et pacifice regnaturi, qui utique deo templum sit aedificaturus (intellige: t. manufactum, quando Messias templum deo consecravit sensu altiori, voce „templi“ ad communionem hominum translata<sup>46)</sup>), magnum illum pronepotem ex semine ejus oriturum, sospitatem generis humani dominum Jesum Christum in gloriōsi regis habitu. Neque abs re est monere, etiam in theologia rabbinica Messiam, quem adhuc venturum hallucinatur, si eum in splendore regio depingere velit, *ἐγατικῶς* filium David (*bän-dâvîdh*) nominari; tam alte fundata est inter hunc regem et Christum dominum connexio.

b. Jamque res satis nota est, in vaticiniis prophetarum vet. test., quando Messiae mentio fit, hunc plerumque apparere in hac forma regia, ejus dominationem gloriosam, victorias de hostibus,

<sup>44)</sup> Hebr. 9, 13 seq. 10, 1.

<sup>45)</sup> Sub hoc nomine nobis tam familiari raro in v. test occurrit, certo Psalm. 2. et Dan. 9.

<sup>46)</sup> Notum esse lectori censeo, etiam „aedificandi“ vocem jam in nov. test. ad sensum spiritualem transsumi.

trumphos et in administrando justitiam atque aequitatem magnificentissimis coloribus depingi. Ita quidem accommodatum fuit mentibus hominum tunc temporis degentium, quamvis nobis paulo alienum a re videri possit. Sed non obstante hac veteris prophetismi consuetudine fatendum tamen est, id quod urgemos, rarius quidem sed interdum tamen in scriptis prophetarum Christum etiam in sua qualitate sacerdotali nobis proponi<sup>47)</sup>. Ut autem duos praecipuos textus<sup>48)</sup>, quibus hoc fit, obiter saltem stringamus, quae Jesajas propheta capp. 52 et 53 de „servo Domini“ (*äbhädh jehôvah*) vaticinatus est, hic pertinere, probatur per varia vocabula *εργατικά* actionem servi domini humiliati et patientis designantia; alter locus est in psalm. 22 de paciente Christo *ρωγικώς* per singula ita agente, ut subinde non vatem præsagientem sed evangelistam narrantem audire tibi videaris; fungi autem eum vice sacerdotis eo docetur, quod post exantatos dolores sacrificium eucharisticum (gratiarum actionis) in concione magna (*qâhâl* = ecclesia) est oblaturns Vv. 26 seqq. Ceterum ne Rabbini quidem hanc Messiae qualitatem, ut in vet. test. designatam, non viderunt, eundem in hac forma, quae est humilitatis splendori regio oppositae, Josephi filium (*bän-jöséph*) solemniter vocantes. — Si vero quaeras, qua de causa Messias in hac sua sacerdotali provincia, quae tamen in opere redemptionis maximi est ponderis, tam raro et occulte hominibus ejus temporis proponatur — adeo ut magna Israelitarum pars et rudis plebs fere omnis tempore Christi Messiam in hoc habitu seu (ut dogmatice dicamus) in statu exinanitionis omnino non agnosceret: ad explicandum valent eadem fere rationes, quae adhiberi possunt et solent ad illustrandam ipsius Christi per omnem magisterii sui publici cursum vel adeo coram apostolis de expiatoria et *εργατικώς* efficaci virtute suae passionis et mortis reticentiam. Sed ea uberior ut exponantur, non capit hic locus.

c. Tempore vet. testamenti seniori, exilium Babylonis proxime antecedenti, idem comitanti et subsequenti, quo tempore tam miserabilis et deploranda fuit et reipublicae et singulorum conditio civilis religiosus socialis, ut populus calamitatibus et publicis et privatis oppressus facile de se suisque rebus desperare posset, fieri non potuit, quin hominibus, quo miseriiores essent, eo ardenter ac vehementius desiderium succresceret fortunati illius regni Messianici, quod etiam in rebus terrenis (ad quas hominum mentes præsertim carnalium, quales tunc vulgo erant, avidissime inhiare solent) melioris frugis spem adlaturum esse videbatur. Mentibus ita dispositis obsecundavit divina providentia; itaque factum est, ut apud prophetas aetatis posterioris crebriora, quam ante, et ex parte etiam distinctiora de Messia vaticinia deprehendantur.

Sed et aliud est, quod ex his temporum adjunctis, respectu habito ad naturam prophetismi sacri explicetur. Habet autem vera et genuina prophetia, qualis est vet. testamenti, eam rationem, ut vates, afflante numine divino ad altiora raptus, *ἐκστατικῶς* quae futura sunt vel proprius vel remotius uno quasi mentis obtuto perlustretur, quo fieri facile potest, ut, veluti corporalem vulgaris hominis oculum in rebus dissitis spatiorum distantia fugere solet, ita a prophetae spirituali oculo temporum intervalla indistincta negligantur. Cum igitur hujus temporis prophetae, de rebus per Messiam gerendis canturi, haud raro a restitutione populi ex exilio et ejus redintegratione civili (et ipsis beatitudinis Messianicae præfigurativis) exordiuntur, paulatim, et subinde sine sensu, ad ipsa tempora Messiae ita defluunt et dilabuntur, ut inter utraque vix possis discernere. Accedit et hoc, quod haud assimili de causa in visione prophetica unus et alter Christi adventus, nimirum ad salvandum, qui jam factus

<sup>47)</sup> De magisterio Messiae specialis mentio non est necessaria; adjungitur enim in vaticiniis plerunque regio munera ita, ut purior et latius diffusa de deo et religione notitia lineamentum sit in imagine gloriosi regiminis Messianici; v. Jes. 2. et Mich. 4.

<sup>48)</sup> Praeter psalm. 109, in quo relate ad Gen. 14 de Christo dicitur: „Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech“.

est, et ad judicandum, qui nobis quoque adhuc futurus est, commiscentur et confunduntur. Si demum et illud in censem revoce, vates vet. test. sacros, ut res per se et indoles orientalium eo magis secum fert, elocutione valde figurata et poetica, et quidem a nostro genio multum dissona, uti, facile poteris intelligere, vaticinia nostra saepenumero sua obscuritate laborare, ita ut vix vel ne vix quidem possint ad apricum deduci.

Nihilominus tamen in imagine Christi prophetica sat supersunt lineamenta clara obvia distincta, quae ut jam in unum colligamus, nostri erit officii.

Quum autem commentatio nostra in majorem, quum occasio fert, molem jam excreverit, subsistamus oportet et, quod deest, in tempus aliud seponamus. Vale interim lector.

immissis et confirmatione rebus ecclesiasticis per ordinem. Ita ut post  
eo maledictio exponatur ad eum et de ipsius sed etiam de eiusdem iustitiae in bullis. Tu  
propositus nonne etiam quae a centro in diversis et extremitatibus locis et vicinias  
sit in se potest estinuerit nos credimus quae vicinias possunt et possunt.

## LECTIONES.

### A. ORDINIS THEOLOGORUM.

#### Dr. Henr. Oswald, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Doctrinam dogmaticam de creatione, de angelis, de statu hominis originali et de peccato protoparentum tradet quinques per hebdomadem h. X.
- II. Psalmos selectos interpretari perget bis p. hebd. horis defin.
- III. Grammaticam linguae Hebraicae una cum interpretatione aliquot v. t. locorum continuabit ter p. hebd. horis defin. Praeterea scholas de lingua Gothicā comparativas cum ceteris idiomatis Germanici dialectis offert.

#### Dr. Franc. Hippler, P. P. O.

- I. Theologiam pastoralem docere perget sexies per hebdomadem hora VII.
- II. De jure matrimoniali disseret horis definiendis.

#### Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quotidie h. IX—X.
- II. Antiquitates ecclesiasticas tradere perget bis per hebdomadem horis def.
- III. Item historiam artis christianaē h. d.

#### Dr. Hugo Weiss, P. P. E.

- I. S. Pauli epistolam ad Romanos interpretabitur quater per hebd. hora VIII.
- II. Theologiam Biblicalm veteris testamenti tradet bis p. hebd. hora VIII.
- III. Antiquitates domesticas Hebraeorum docere perget bis p. hebd. horis definiendis.

#### Lic. Julius Marquardt.

- I. Theologiae moralis partem ulteriorem, quae est de virtutibus et officiis ad vitam socialem pertinentibus, tradere perget quater per hebd. hora XI.
- II. Repetitiones et disputationes de rebus moralibus instituet bis p. hebd. hora XI.

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

### Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Ciceronis de legibus libros II et III interpretabitur ter hebdomade h. IX.
- II. Tertulliani apologeticum cum commilitonibus leget h. d.
- III. Aristotelis artem poeticam enarrare perget bis hebdomade h. IX.
- IV. Exercitationes philologicas moderabitur ter hebdomade h. d.

### Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

- I. Calculum differentialem et integralem tradere perget et doctrinam de integralibus definitis ad varias quaestiones applicabit diebus Martis et Veneris hora XI—XII.
- II. De chronologia et de calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Lunae et Mercurii hora XI—XII.
- III. Climatologiam docebit et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Mercurii et Veneris hora II—III.

### Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiam recentiorem inde ab aetate Ludovici XIV tradet ter per hebdomadem hora VIII.
- II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas enarrabit bis per hebdomadem hora VIII.
- III. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret semel per hebd. h. VIII.
- IV. Litterarum in Prussia cultarum historiam exponet semel per hebd. h. def.

### Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Commeatu impetrato scholas non habebit.

### Dr. Jos. Krause.

- I. Psychologiam docebit quater per hebd. hora X.
- II. De Platonis vita et scriptis disseret semel per hebd. hora X.
- III. Repetitoria philosophica offert semel per hebd. hora X.
- IV. Exercitationes paedagogicas moderabitur semel per hebd.

## PUBLICA DOCTRINAЕ SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest Prof. Dr. Weiss, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit Prof. Dr. Feldt.

## CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

**Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii  
Hosiani anno superiore inito et quaestionum in currentem  
annum propositarum promulgatio.**

**Ordo theologorum** pro certamine litterario has quaestiones proposuerat:

- I. Ex instituto Regio: „De archidiaconis“.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: „De confessionis catholicae fidei a Stanislao Hosio, Episcopo Warmensi, Petricoviensis Synodi nomine primum conscriptae originibus, theologumenis, fatis“.

De priore quaestione libellus traditus est hisce insignitus verbis: „Quando seribit Leo Papa ep. 57, Anatolium Archidiacono suo coneredidisse „dispensationem totius causae et curae eccl.“, ita mihi quidem interpretandus videtur, ut Archidiaconum faciat totius administrum jurisdictionis in causis eccl. et dispensatorem rerum reddituumque temporalium“.

Auctor hujus commentationis, si rem ipsam respicias, quamvis justo plus Binterimo et Thomassino adhaesisse eum appareat, plerumque tamen quaestioni propositae satisfecisse censendus est. Verum quum quae attulit non recte disposuerit accurateque discusserit, quumque oratione latina usus sit prorsus inculta nec gravissimis vitiis carente, nec desint multa praecipitantiae ejusdam indicia, Ordo theologorum auctori, non ut eum praemio ornaret, sed ne labore suum deesset pretium, dimidiam partem stipis constitutae concedendum esse judicavit.

Schedula reclusa nomen prodit:

Henricus Benjamin, cand. theol.

De altera quaestione opusculum exhibitum est sic inscriptum: „Prima vox ejus, qui se Christianum profitetur, est: Credo“. (Hos. Confess. c. 1.)

Quod qui conscripsit, Eminentissimi Cardinalis Warmiensis opus paeclarum diligenter perscrutatus est, quae ad illustranda ejusdem libri fata ex fontibus tironi obviis peti potuerunt, solerter apposuit remque propositam sermone usus parum quidem limato, sed tamen satis perspicuo, ita absolvit, ut praemium ei persolvendum esse Ordo censuerit.

Aperta charta innotuit:

Franciscus Liedtke, stud. theol.

**Ordo philosophorum** ex instituto Regio hanc quaestionem proposuerat:

„Veterum Prutenorum omne vitae genus fontibus recte justeque aestimatis enarretur accurateque cum Celtarum, Germanorum Slavorumque moribus et institutis comparetur“.

Commentatio de hoc arguento Ordini tradita est his insignita verbis:

„Multa poterant de his populis dici laudabilia, si haberent solum fidem Christi“ Helmold.

Scriptor hujus commentationis, etsi de fontibus obiter tantum et minus scite judicaverit, tamen iisdem, magis autem libris posteriorum, qui iis fulciuntur, diligenter prudenterque usus est, ita ut harum gentium et vitae domesticae et publicae, imprimis autem religionis imaginem satis dilucidam, qualis a juvēne commilitone exspectari potuit, praebuerit, et quae in toto hoc genere inter illas gentes communia fuerint, satis apte comparaverit.

Quum itaque commentatio, quod ad summam rei tractatae pertinet, probanda sit, quum sermo etiam, etsi multis locis negligentiae et levitatis notam meruerit, ceterum dexteritatem quandam praese ferat, Ordo scriptori praemium constitutum concedendum esse censuit.

Rescissa schedula prodiit:

X. Hoon, stud. theol.

---


Quaestiones in certamine litterario pro praemiis in annum currentem (1875—76) proponuntur haec  
ab Ordine Theologorum:

- I. Ex instituto Regio: Quis qualis fuerit angelus ille Domini (*mal'ach Jahve*), cuius in Pentateucho saepius fit mentio, demonstretur.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De pericoparum biblicarum in Ecclesia Occidentali usu et indole.

**Ordo Philosophorum** eos, qui de praemio regio certaturi sint, Aristotelis et Ciceronis de republica sententias jubet explanare.

Certantium commentationes sermone latino conscriptae et more consueto signatae ante diem XV. m. Januarii anni sequentis Rectori Lycei tradendae sunt. Victoribus praemia constituta sunt ex instituto regio LXXV, ex Stipendio Scheill-Busseano C marcarum.

Promulgatum in sollemnibus Serenissimi Imperatoris et Regis Guilelmi nataliciis die XXII. Martii anni MDCCCLXXVI.







03824